



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

212. An si in campo in aliqua Ecclesia non reperiatur Hostia, sed tantum particula, liceat Sacerdoti cum ea celebrare? Ex part. 5. tr. 13. & Misc. 1. res. 80. ibid.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

RESOL. CCXI.

An gutta vini, quae sunt in Calice separata à vino, quod est in fundo Calicis remaneant consecrata? Ex p. 3. tract. 4. Ref. 32.

§.1. Hic casus frequenter accidit, & affirmatiuam sententiam docet Bonacina, quem ego adduxi in tract. 3. miscell. resol. 16. sed contrarium tenendum est, nam haec videtur esse communis, & optima Ecclesiae intentio consecrandi omnem liquorem consecrabilem, qui per modum vini continui in calice continetur. Et ita praefer Reginaldum, & Suarez docet nouissimè Layman in Theol. moral. lib. 5. tract. 4. cap. 2. n. 14.

Quae hic est Ref. antecedens.

2. Quod autem tenet Coninch. de Sacrament. quest. 74. art. 2. dub. 1. num. 43. eas quoque vini guttas consecrari, quae intra calicem reliquo liquori proximae adherent, vt leui calicis commotione admisceantur, difficultatem etiam habet secundum Layman loco citato nam determinari non potest, quanta omnino esse debeat talium guttarum propinquitas; fatetur enim ipsemet Coninch remotiores non consecrari. Neque verò potest consecratio (sicuti neque alterius Sacramenti consecratio) pendere à futuro euentu contingente, vt nimirum ea solum guttae consecrentur, quas postea conringet calicis agitatione reliquo liquori commisceri. Dicendum est igitur illud vinum consecrari, quod per modum vini continui portabile existit in fundo calicis.

RESOL. CCXII.

An si in campo in aliqua Ecclesia non reperitur Hostia, sed tantum particula, liceat Sacerdoti cum ea celebrare? Ex p. 5. tr. 13. & Misc. 1. Ref. 80.

§.1. Affirmatiuè respondet Marchantius in Candelabr. Sacram. 99. Pastor. tract. 4. cap. 3. q. 3. cas. 6. fol. 185. vbi sic asserit. Si haberi maior Hostia non possit, an ex minoribus liceat adhiberi? Respondo in Missa priuata & secreta id fieri posse, cum non inueniatur praecipuum in contrarium, gratiusque videri Deo sic celebrare, quam non celebrare, licet non sit festus dies, maxime si non sit periculum de scandalo, tunc enim id etiam urgente causa publice fieri nihil veraret. Ita ille, & ego.

Sup. contentum in hac Ref. in Ref. seq.

RESOL. CCXIII.

An si v.g. non inueniatur Hostia magna, possit Sacerdos celebrare, & consecrare particulam parvam? Et an hoc licitum sit, si adsit ad minus iustificatio, & necessitas aliqua? Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. Ref. 55.

§.1. De hoc casu his diebus interrogatus fui. Et aliqui negatiuè respondebant, quia est de necessitate praecipui, vt Hostia sit rotunda, ac debita magnitudinis: nam etsi magnitudo, aut paruitas non obstant, quò minus per se loquendo valide consecratur materia, non licet tamen Sacerdoti in quantalibet magna quantitate, aut modica id facere, ob ingentia incommoda, certaue peccandi pericula quibus talis actio exposita patet.

Sup. contentum in hac Ref. in Ref. praeterita.

2. Sed haec omnia admittenda essent, si Sacerdos consecraret Hostiam quantitatis modicae sine aliqua iusta causa; secus autem si hoc faceret ex aliqua necessitate; & ideo non grauabor hic apponere verba

2. Sed contraria sententia profus est tenenda, & ideo ad dubium propositum respondeo negatiuè cum Ioanne de Lugo de Sacram. Euch. disp. 15. sect. 2. num. 22. vbi sic ait: Dato quòd materia parua secundum se non possit ab Ecclesia prohiberi grauius, quando tamen est materia magna in ordine ad significationem, potest, vt gutta aquae in Calicem mitenda propter mysterium & significationem praecipitur ab Ecclesia sub mortali. Ita ille.

3. Notandum est etiam hic in gratiam amicissimi & doctissimi viri Pauli Aresij Episcopi Tortonenfis, quòd si aqua non fuerit in vinum conuersa ante consecrationem, conuertitur immediatè in sanguinem, & ita docet praeter DD. abibi à me relatos nouissimè, me etiam citato, Ioannes de Lugo de Sacram. Euch. disp. 4. sect. 4. n. 48. & Ioannes Prappositus in 3. p. q. 74. art. 8. dub. vnic. num. 58.

RESOL. CCX.

Quidam Sacerdos post consecrationem Sanguinis inuenit in calice aliquas guttas separatas à vino, & illas cum purificatorio ante sumptionem sanguinis abstersit, queritur, an ille gutta fuerint consecrata? Ex part. 2. tr. 17. & Misc. 3. Ref. 16.

§.1. Referam, quae de hac quaestione apud auctores inuenio. Coninch. de Sacram. q. 74. art. 2. dub. 3. n. 43. haec asserit. Nota legitimam intentionem consecrationis calicis, secundum communem, & optimam praxim, fieri solum circa omnem humorem consecrabilem, qui in calice per modum continui, aut quasi continui continetur, vt comprehendat etiam aquam vino permixtam, & guttas vini, quae proximae continuo liquori calici intrinsecus adherent, ita vt parua calicis agitatione reliquo vino miscantur. Tales enim guttas vini, vel prius abstergi; vel cum reliquo vino consecrari omnino expedit, ne materia non consecrata, miscetur consecratae. Quare, nisi consecrans aliud expressè intendat, censetur communitè hanc totam materiam, & nullam aliam consecrare, & consequenter, nec guttas remotiores circa extremum labrum calicis adherentes. Quamuis magis expedit, prius omnes guttas, praesertim remotas, abstergere, & tunc simpliciter omnem materiam consecrabilem, quae est in calice, consecrare. Haec Aegidius.

2. Sed Martinus Bonac. tract. de Sacram. disp. 4. q. 2. p. 6. n. 7. absolute asserit, omnes vini guttas, quae sunt in calice, licet separatas à vino manere consecratas, & reddit rationem; nam intentio Sacerdotis fieri videtur circa totam materiam in calice existentem, quae demonstratur per particulam hic, vt patet à simili de consecratione plurium hostiarum in eodem vase existentium.

3. Ex his existimandum erat peccasse mortaliter Sacerdotem illum, qui vini guttas existentes in calice, post consecrationem abstersit, nam erant consecratae.

4. Attamen illi, pro sua consolatione, contrariam sententiam, apud Reginaldum, demonstrauit, sic enim ait in praxi tom. 2. lib. 28. cap. 2. n. 19. Si aliqua sunt guttae vini, vel extra calicem, vel in calice separatae à toto vino, quod in calice ipso continetur eas probabiliter iudicari non consecratas, ob defectum intentionis; namque intentio habenda circa materiam calicis est, vt Sacerdos intendat consecrare illud, quod per modum vini continui portabile existit intra calicem. Sic ille.